



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exhortatio Ad Reditvm In Catholicam Ecclesiam, Ovicvlis Christi, Gevsiaa Tempestate Per Hollandiam Et Vicinvm Belgivm Misere Dispersis**

**Lindt, Willem van der**

**Coloniae, 1577**

**VD16 L 1932**

11. Lutherani Christum vere negant esse Iesum & Salvatorem, qui peccatum populi sui non aufert, sed velat & tegit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31553**

omnium nationum homines? An non Dauidi de fructu ventris eius, qui est Iesus Christus Nazarenus in sæcula benedictus, promissum est ore Dei, sessurum in throno Dauid, in domo Iacob? An non est filius Dauid, ex semine Dauidis secundum carnem? An non est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus? Sed qui de filio Dei ex Maria virgine incarnato dubitat, magis sensu, quam pœna indigere videntur: quod ad tam manifestas diuinorum oraculorum scripturas oculos suos claudere sua mera ex malitia volunt.

Psal. 131.

Luc. 2.

Matt. 1.

Rom. 1.

## Caput XI.

*Lutherani Christum vere negant esse Iesum & Salvatorem,  
qui peccatum populi sui non aufert, sed velat  
& tegit.*

**I**stum quidem in modum Anabaptistæ in Christum Dominum furiunt, humanam ei carnem detrahentes. Lutherani verò, qui Christum verum nobiscum communiter agnoscunt Deum & hominem, quanta ipsum afficiant contumelia, indeliquet, quòd cum re vera negant esse Iesum, hoc est, Salvatorem animarum à peccatis, quibus sunt contaminatæ atque obligatæ. Cum enim docent Christum sua per Sacramenta peccatum non abolere, non tollere, non auferre, sed relinquere: non imputare, sed tegere, ne sordiant, ne Patris oculos offendant: verum ipsum negant, saluatorem humani generis. Non enim à peccatis verè saluat & liberat, ea tollendo, auferendo, abolendo. nam ea docent nulla eius gratia vinci, tolli, aut aboleri posse. Atqui clamat Dei Spiritus, Christum venisse, vt destruat opera Diaboli. Quonam modo igitur destruit diaboli opus peccata, si ea vere non abolet, non delet, non de medio submouet? Clamat Ioannes Baptista, ecce *Ioan. 3.* agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si tollit: verè non est

E am-

*Matt. 1.*

amplius: alioquin si non est sublatum ipsa re, non tollit Christus: quod impium est de Christo domino sentire: quem ideo Archangelus Gabriel prædixit Iesum appellandum, quia saluum faceret à peccatis populum suum. Qui peccata populi sui relinquit in anima, tegit, velat, non ab eis populum purgat, liberat, saluat. Ex hoc venenato Lutheri fonte omnes fluunt nouorum istorum magistrorum in Sacrosancta Christi Sacramenta blasphemiam, quod mera sunt sanctificationis signa, non causæ illam verè operantes, aut veram animarum sanctimoniam, veram puritatem, veram iustitiam non conferentes: cum peccatum Adæ doceant in anima renouatorum persistere, ac permanere, adeoque illam perpetuo contaminare. Sed vnus Diuus Paulus nobis aduersus istos blasphemos idoneus est veritatis Apostolicæ assertor, qui Corinthijs suis dudum baptizatis scribit; Et hæc quidem fuistis, fornicarij, idolis seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces: hæc, inquam, fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

*Ephe. 5.*

Rursus de Ecclesia loquutus, Sanctificauit eam, inquit, in sanguine suo, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Si mundat baptizatos: vbi manent, obsecro, peccatorum sordes? vbi flagitiorum immunditiæ? vbi criminum priorum lues? Si Corinthij fuerunt ante baptismum fures, adulteri, idololatræ, iniusti (sed fuerunt, inquit D. Paulus:) non ergo post Baptisma sunt fures, aut iniusti, adulteri, fornicarij, aut idololatræ.

Ca